In Imperio Suæ Imperatoriæ Majestatis Augustissimi Pauli Imi Imperatoris & Authocratoris totius
Russiæ &c &c &c Domini Nostri Clemmentissimi

Joannes Nepomucenus Corvinus Kossakowski DEI & Apostolicæ Sedis Gratia Episcopus Vilnensis Ord. Alexandri Nevensis Eques —

Illustrissimo & Rndissimo Dno Adamo Kłokocki Episcopo Sidonensi Suffraganeo & Officiali Nro Brestensi Fraternam Salutem —

Accepta notitia quod Ecclesia Parochialis Mileyczycensis Rectore suo adpraesens destituta existat, pro munere Nostro Pastorali solliciti, ne suis debitis defraudetur obsequiis, populusq eidem jure Parochiali subjectus in administratione Sacramentorum aliisq spiritualibus necessitatibus, condigna & necessaria Commoditate frustretur, Eam Illmæ & Rndissimæ Dni Vræ tantisper Committendam & Commendandam esse duximus, prout quidem Authoritate nra Ordinaria Committimus & Commendamus per praesentes, Curam Animarum, Administrationem Spiritualium & Regimen temporalium dictæ Eccliæ Mileyczycensis rerum Ipsi plenarie committentes. Hortamur autem Illmam Dnem Vram in Dno, ut in Administratione sui muneris ita Se vigilem exhibere studeat, ut et nobis /: si opus fuerit :/ & in Districto Judicii die Dno Dno, condignam possit ac valeat reddere rationem. In quorum fidem praesentes manu nostra signatas sigillo communiri jussimus. Vilnæ in Cancellaria Curiæ Nræ hac die 30. 9bris n. s. 1798 Anno

Joannes Episcopus

Instrumentum Administrationis
ad Ecclesiam Mielezynensem